

regionibus nostris, quarum altitudo poli est plus 24 graduum, quam habitam serua etiam. Deinde aspice, si latitudo meridionalis fuerit, adde eius diuersitatem aspectus in latitudine. Si uero fuerit ipsa latitudo septentrionalis, tunc subtrahe unam ab alia, & quod remanet erit apparens latitudo. Et est illius partis, cuius ambæ simul iunctæ fuerint, uel illius partis cuius fuerit maior. In proposita Solis ecclipsi filum centri pono super argumentum latitudinis tempore & uisæ in circulo argumenti Lunæ, quod ostendet in circulo latitudinis Lunæ, latitudinem septentrionalem 56 minutorum, cum id minus sit sex signis, ab hoc igitur subtraho diuersitatem aspectus Lunæ in latum, scilicet 44 minuta, restant 12 minuta latitudinis Lunæ septentrionalis uisæ.

¶ Minuta casus Ecclipsis Solaris inuenire.

PONE filum centri figuræ Solis super argumentum Lunæ uerū, ad uisibilem coniunctionē inuentum, & transfer Almuri ad æquationem Ecclipsis solaris. Deinde pone filum super latitudinem Lunæ uisibilem in tropico Lunæ, sic quod Almuri cadat super lineam, & hoc in illa quarta in qua argumentum Lunæ est repertum. Et quot spacia linearum lineam minutorū casus perpendiculariter secantium inter Almuri & centrum instrumenti repereris, tot minuta casus in Ecclipsi habebis. In dato exemplo pono filū centri super argumentū Lunæ uerum, tempore & uisibilis, & margaritam duco ad eius cum æquatore ecclipsis Solis intersectionem, deinde idem filum pono super latitudinem Lunæ uisam, scilicet 12. minuta in tropico Lunæ, cuius margarita secat ex descendens rectis tricesimam à centro instrumenti computando, quæ indicant 30 minuta casus in Ecclipsi Solis.

¶ Initium & finem Ecclipsis Solis ostendere, & totius ecclipsationis durationem.

MINUTA casus diuidantur per superationem Lunæ in una hora, per præcedentia inuentam, & in quotiente proueniet tempus quod est à principio Ecclipsis usq; ad medium, quod si duplicaueris, proueniet tempus totius ecclipsationis, & uocatur duratio. Et si idem tempus non duplatum ab horis coniunctionis uisibilis subtraxeris, horam initij Ecclipsis habebis. Si autem idem tempus ad horas uisibilis coniunctionis addideris, finem horarum Ecclipsis habebis. Vt, minuta casus, 30 scilicet, diuido per superationē Lunæ horariam, quæ erat quasi 34 minutorum, & proueniunt 53 minuta, quæ subtraho à & uisibili, medio uidelicet ecclipsis Solis, & prouenit initium ecclipsis, die 31 Augusti, à meridie hora prima, minuta 29. Ea quoq; eidem tempori adiungo, & prouenit finis ecclipsis, die eadem, hora